



stianae religionis concludebant. Ita enim verissimum esse unicuique, censeo, melius Deum atque solidius, quam homines, ea cognoscere atque docere etiam posse alios, quae ad salutem nostram sub euangelio sunt scitu necessaria, ut, delirare eum, qui vellet negare, prorsus crederem. Sufficere ergo et ea ad salutem magis debent, quibus nos Christus tamquam Deus instruxit, ac si illa tantum nos tamquam homo docuisset. Adeo vera etiam Christi diuinitas cum sine, quem hisce suis Sociniani adfertis intendunt, congruit.

§. VI.

Quae si quis haecenus a nobis disputata attento animo iustrauerit, ille, tantam, certo videbit, vim eorum esse, ut nova inde queat atque plane singulari ratione confirmari, Deum non separari a Iesu Christo per interpositam particulam *και*, sed postulari potius a Christo, tamquam Salvatore, ubi Cap. XVII. 3. *αυτη ζωη*, Euangelista, Ioannes, dicit, *εστιν η αιωνιος, ινα γνωσκωσι σε τον μονον αληθινον θεον, και ον απεστειλας ιησυν χριστον*. Nam omnibus, quam quod notissimum, perspicuum est, diuellere Socinianos Deum per illam particulam a Christo. y) Quod quam inconsultum atque imprudens sit, declarat satis antecedens disputatio, in qua tam multis tamque variis, ab ipso Socinianorum systemate repetitis, rationibus comprobauit, quantum de Christo, tamquam Deo, cognitio

ad

y) Sect. II. *Catech.* Cap. II. p. 11. Conf. Sect. III. Cap. I. p. 16.